desciis apostolis. qui cum domino iudicaturi sunt. Terra tremuit. homines terreni. qui iudicante domino contremiscent. cum
audierint. ite in ignem aeternum. Et quievit. Quievit quoque terra. id est homines peccatores malis pressi. a strepitu potentiae. et gloriae mundanae
quiescent ab operibus malis. non autem ab aeternis suppliciis. Cum exurgeret in iudicio deus. ut salvos faceret omnes mansuetos terrae. Qui quondam dimi
tis et humilis iudicatus est. exurget. id est excitabitur. et praeparabitur ad iudicium. Pendet hic versus ex superioribus. Terra tremuit
et quievit. cum exurgeret in iudicio deus. Exurget autem ad iudicium. non solum ut reprobos damnet. sed et ut electos remuneret. Unde sequitur.
Ut salvos faceret omnes mansuetos terrae. id est eos qui non ascenderunt frementes equos. sed humiliter dei in se gratiam recognoverunt. Quoniam cogi
tatio hominis confitebitur tibi. Confitetur deo cogitatio hominum lugendo peccata praeterita. cum digna satisfactione per paeniten
tiam damnat. Verum quia nulli convenit esse securum etiam post peractam plenitudinem addidit. reliquiae cogitationis diem festum
agent tibi. Semper enim meminisse convenit quod deliquimus. et assidue liberatori diem festum agere. hoc est gratias illi referre.
Aliter. Cogitatio hominis confitebitur deo. quando illuminatur homo per gratiam eius. hic quod corde concipit ad iustitiam. ore confitetur ad
salutem. Reliquiae cogitationis diem festum agent. quando iam data per confessionem conscientia. et in dilectionem dei accensa.
laetatur in domino. et veluti diem festum agit cum apostolo. Bonum certamen certavi. cursum consummavi. fidem servavi. de re
liquo reposita est mihi corona iustitiae. Vovete et reddite domino deo vestro. omnes qui in circuitu eius affertis munera. Multa sunt
quae non vovemus et reddimus. ut est. non occides et cetera. Sunt alia quae voveri debent et reddi. ut est virginitas mortifica
tio carnis. facultatum dimissio. quae nisi voveant non damnant si non impleant. Si autem voveant. reos faciunt
si non observentur. Unde cum dixisset vovete. subdedit. et reddite domino deo vestro omnes qui in circuitu eius affertis mune
ra. Hic discernit eos. quorum deus vota suscipit. Non enim hereticorum munera. sed eorum qui fide catholica praediti deo vir
tutum sacrificia offerunt. deo placere probantur. Hi enim in circuitu eius offerunt. qui illi fide recta praesto sunt. Heretici autem
longe per prava dogmata a deo recedunt. Cui autem deo vovere et reddere debeamus. indicat subdens terribili metuendo ab omni
creatura. Sed ita est terribilis. ut sit amabilis. sic severus. ut sit dulcis et pius. Sequitur. Et ei qui aufert spiritum principum. Cum super
bos humiliat. et eis spiritum subtrahit elationis. eosque de tumidis et inflatis. facit humiles et mansuetos. Spiritum principum
aufert. quando deus iusto iudicio gratiam spiritus sancti a superbis tollit. sicut abstulit a saule et a salomone. Terribili apud reges terrae.
vel eos videlicet qui mundanis praesunt. vel reges terrae sanctos dicit. qui motus corporis sui bene regere et moderari noverunt.

In finem mundi totius. dictum est christum significare.
Idithun. transiliens eos interpretatur. Asaph congregatio. Loquitur in hoc iustorum congregatio. quae omnes illecebras mundi
transiliens. ad finem id est christum nititur pervenire. Hic est enim finis et consummata beatitudo. plenaque felicitas. quo adepto.
nihil erit quod humanus animus ultra requirat. Voce mea ad dominum clamavi. voce mea ad deum.
Quod dicit voce mea clamavi. iuxta litteram pleonasmos est. id est adiectio ubi supervacua. neque enim quisquam nisi voce sua
clamare potest. sed otiose hic accipiendum. Sua enim voce ad dominum clamat. qui non temporalia commoda. non saeculi dignitates
quaerit a domino. sed ea quae dominum delectant implere. regnum videlicet dei et iustitiam eius. Nam qui terrenum aliquid orans petit.
non voce sua ad dominum clamat. licet ipsum videatur invocare. Sane attendendum quod dicit quod clamet quod illum rogat. qui no
vit. quod desideret spiritus postulantis. quique scit quid nobis expediat antequam petamus. et intendit mihi. Id est nobis orantibus
intendit. quando deum petimus non quando ab ipso aliud quaerimus. Intendit hic id est misertus est. Respicere enim eius. misereri est.
In die tribulationis meae deum exquisivi manibus meis nocte contra eum. Tota vita praesens sanctis mundana transilientibus
tribulatio est. qui peregrinantur a domino. Quomodo autem deus quaerendus vel orandus sit. ostendit cum dicit. deum exquisivi manibus
meis. id est bonis operibus. Manibus quippe operamur. Et ideo per manus operatio intellegitur. Bonis ergo actibus adiuvanda est oratio.
ut exaudiatur. Nocte se dicit exquisisse. hic id est in tenebris saeculi huius in tribulatione contriti spiritus. Et hic contra eum. id est
non ad aspectus hominum. sed in abscondito. ubi ipse solus videt sicut ipse in evangelio praecipit. Tu inquit cum oraveris.
intra intra in cubiculo. et cetera. Sequitur. Et quo fructu hoc fecerit indicatur. et non sum deceptus. Ille enim non decipitur.
cuius oratio exauditur cuius iusta vota complentur. Rennuit consolari anima mea. Non vult consolari in praesenti
rebus temporalibus. ut aeternorum bonorum adquireret consolationem. Memor fui dei. et delectatus sum. Ecce ubi quaerenda est
consolatio. ubi plena refectio. Memor inquit fui dei et delectatus sum. Quasi desperatus quodam tristitiae taedio conta
buerat. sed memor factus dei delectatione se repletum dicit. Dei enim recordatio totius suavitatis et delectationis est.

e-codices
Lizenz: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 163 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos (http://www.e-codices.ch/de/csg/0312/163)